

Alessandro signore di Chiaromonte

E 51

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Alessandro signore di Chiaromonte

E 51

1116-11-03

Signum manus Alexandri (di Chiaromonte) filii
Alexandri divina providentia domini Clarimontis. #
Signum manus Iudithae uxoris praedicti Alexandri.
Signum manus Riccardi fratris praedicti domini
Alexandri. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Quoniam spiritualibus et divinis legibus obtemperantes
ecclesiasticum ordinem tranquillum et inoffensum
custodire debemus, eiusque res omnimode tueri, utpote
qui nostra omnia fovet et comprehendit, ac divinam
opem et benevolentiam nobis conciliat; ideo oportet,
simulation amota, eos, qui Deo inserviunt eumque
rite colunt, ab omni periculo quoad divina immunes
praestare. Inde est, quod nos suprascripti Alexander
et Iuditha uxor mea, et Riccardus frater meus,
qui venerandas et vivificas cruces propriis minibus
exaravimus, nostrumque nomen et cognomen manu
notarii, concedimus venerabili ecclesiae S. Trinitatis
de Cava, et SS. Deiparae de Cyr-Zosimo terras,
quas tenemus et possidemus in ditione nostra et
in pertinentiis civitatis Nohae, pro anima defuncti
domini nostri et maioris natu fratris nostri Hugonis de
Claromonte filii Alexandri, hoc pacto, ut sint assignatae
praedicto monasterio SS. Deiparae de Cyr-Zosimo
usque ad secularoum finem. Incipiunt autem earumdem
terrarum termini a terris, quas possidet idem Sanctum
monasterium de Cyr-Zosimo in monte Nudae, ut vadit
exinde via maior, quae ducit ad torrentem Caecum
per serram usque ad locum dictum Ooga, et exinde ut
descendit vallis magna orientem versus, et iungitur cum
capite rivi de Marco, et ut descendit praedictus rivus
usque ad terras, quas possidet praedictum monasterium
in Appio, et illinc ut ascendit septentrionem versus usque

ad praedictum montem Nudae et ad viam maiorem, et clauditur. In his autem terris amodo potestas sit sancto monasterio lignandi, colendi, et faciendi quodcumque voluerit, nemine impediante aut molestiam afferente, quoniam potestatem a nobis accepit. Concedimus vero et confirmamus omnia quaecumque obtulit et concessit pater noster dominus Alexander, et avus noster dominus Hugo de Claromonte, et noster maior natu frater dominus Hugo, sive terras, sive vineas, sive quodcumque aliud, eaque assentimur ex hac hora esse in omnimoda potestate sancti monasterii libera, et ab omni damno immunia; similiter omnia, quae ab antiquo tenuit ac possedit sanctum monasterium statuimus nullum omnino impedimentum ab aliquo pati, cum nos demum fecerimus eorum plenam et perfectam oblationem. Quod si olim quisquam adsurrexerit, volens hanc nostram oblationem irritam facere, maledictus sit a Patre, et Filio, et Spiritu Sancto, et a tercentis octo et decem sanctis divinisque Patribus; laqueum habeat Iudae proditoris, et excludatur ab orthodoxa christianorum fide, nec suorum peccatorum remissionem consequatur; sed habeat partem cum iis qui clamaverunt: tolle, tolle, crucifige: et nihilominus firma stabilis et inconcussa maneat praesens concessio, quoniam ita nobis placitum est. Praesentibus fide dignis caballariis et probis testibus, qui forte interfuerunt, scripta est praesens oblatio manu Nicolai notarii filii Chrysostomi Ioannis de civitate Nohae,

die tertia mensis novembris, indictione X, anno 6625. # Alexander de Claromonte testis subscripsi. # Hugo filius Tristaini testis subscripsi. # Riccardus filius Alexandri testis subscripsi. # Chuardus de Latronico testis subscripsi. # Sarlus frater Michaelis testis subscripsi.

Alexander de Samparo testis subscripsi. # Robertus Balleme pro tempore potestas cariae Nohae subscripsi sanctam crucem, nomen autem notarius.